Glanzpunkt aber einer spätern Zeit angehört, als derjenigen, die bis jetzt den Gegenstand meiner Darstellung bildete.

Im Juli 1862.

III.

Hexham.

(Siehe Band IV., Seite 244, Anm. 1.)

Beschreibung der vom heiligen Wilfrid im Kloster zu Hexham erbauten Kirche (674—680).

Igitur profunditatem ipsius ecclesiae criptis et oratoriis subterraneis, et viarum anfractibus inferius cum magna industria fundavit.

Parietes autem quadratis et bene politis columpnis suffultos et tribus tabulatis distinctos, immensae longitudinis et altitudinis, erexit. Ipsos etiam et capitella columpnarum quibus sustentantur et arcum sanctuarii, historiis et ymaginibus et variis caelaturarum figuris ex lapide prominentibus et picturarum et colorum grata varietate mirabilique decore decoravit. Ipsum quoque corpus ecclesiae appentitiis et porticibus undique circumduxit, quae miro atque inexplicabili artificio, per parietes et cocleas inferius et superius distinxit. In ipsis vero cocleis [1]), et super ipsas, ascensoria ex lapide, et deambulatoria, et varios viarum amfractus, modo sursum, modo deorsum, artifi-

---

[1]) Ducange gibt über das Wort Cochlea folgende Erklärung: Cochleae sunt altae et rotundae turres, et dictae cochleae quasi cycleae, quod in eis, tamquam per circulum orbemque, conscendatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ciosissime ita machinari fecit, ut innumera hominum multitudo ibi existere et ipsum corpus ecclesiae circumdare possit, cum a nemine tamen infra in eo existentium videri queat. Oratoriaque quam plurima, superius et inferius, secretissima et pulcherrima, in ipsis porticibus cum maxima diligentia et cautela constituit, in quibus altaria in honore Beatae Dei genitricis semperque Virginis Mariae, et sancti Michaelis Archangeli, sanctique Johanis Baptistae et sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, cum eorum apparatibus, honestissime praeparari fecit. Unde etiam, usque hodie, quaedam illorum ut turres et propugnacula supereminent. Atrium quoque templi magnae spissitudinis et fortitudinis muro circumvallavit. Praeter quem in alveo lapideo aquaeductus, ad usus officinorum, per mediam villam decurrebat.

Richardi prioris historia Hagulstadensis Ecclesiae, c. III, ap. **Twysden,** *Historiae Anglicanae scriptores decem,* et **Raine's** *priory of Hexham,* p. 11.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf